



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Notae Severini Binii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Ballomeris presbyter subscripsi.

Romacharius presbyter subscripsi.

Medardus presbyter subscripsi.

Audila presbyter subscripsi.

Genulfus presbyter subscripsi.

Syagrius presbyter subscripsi.

Sindulfus presbyter subscripsi.

Vinobaudis presbyter subscripsi.

Apronius diaconus subscripsi.

Barbario diaconus subscripsi.

Leudegisilus diaconus pro Medardo subscripsi.

In hac Synodo fuerunt congregati episcopus vnus, abbates septem, presbyteri 34. diaconi, qui in vice presbyterorum subscripserunt, tres tantum.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Sub annum Christi DLXXVIII.] In Synodo Autifiodorensi nihil est quod tempus denoter, præter nomen Aunacharii episcopi qui præfuit. Nos, quia verisimile videbatur sub initia episcopatus habitam fuisse, satius duximus paulo post Concilium IV. Parisiense, cui interfuerat, collocare, quam ad annum Christi 590. quod nonnullis placuit, reicere. Absurdus autem illi faciunt, qui anno 614. collocant, cum exploratum sit Aunacharium vitam ad ea vsque tempora non produxisse.*

² *Vetula aut ceruolo facere.] Quidam libri *vecola*, alii *vacola*, aut *vecolo*, legunt. Lectio nostra auctorem habet sanctum Eligium in sermone ad omnem plebem: *Nemo in Kalendis Ianuariis nefanda & ridiculosa, vetulas aut ceruolos, vel ioclicos faciat.* Extat hic sermo in appendice tomi 9. operum sancti Augustini tract. 20. sine nomine auctoris: reuera autem est sancti Eligii episcopi Nouiomenensis veterum exemplarium consensu, & Audoeni testimonio in vita sancti Eligii. Hanc eandem lectionem confirmat, simulque quid sit vetula aut ceruolo facere docet vetus pœnitentiale in codice Andegauensi: *Si quis, inquit, in Kalendis Ianuariis in ceruolo & in vetula vadet, tribus annis pœniteat, quia hoc dæmonum est.* Vtrobique porro *vetula* prisco more scriptum pro *vitula*.*

³ *Ad arbores sacriuos.] Sanctus Eligius in eodem sermone: Arbores, quas sacriuos vocant, succidite: pedum similitudines, quas per biuos ponunt fieri vetate, & ubi inueneritis igne cremate.*

⁴ *Non ad caragios.] Vulgati characteres. sed caragios habent omnes antiqui, Tilianus, Bellouacensis ac Pithœanus. Item & S. Eligius: Non caragios promittentes, quæ explere non valent, non diuinos, non sortilegos, &c. consulere presumatis. & S. Augustinus sermone 241. de tempore.*

⁵ *Archisubdiaconum.] Pithœanus, Subarchidiaconum.*

NOTÆ SEVERINI BINII.

¹ *Concilium.] Ad ecclesiasticam disciplinam nec non monasticam*

ANNO
CHRISTI
578.

obseruantiam retinendam, in hoc Concilio sanciti reperiuntur quadraginta quinque Canones; quorum nonnulli etsi in vsu esse desierint, antiquitatis tamen indices remanserunt. Concilium fuit non prouinciale, sed dioecesanum dumtaxat, cui solus Aunacharius eiusdem ciuitatis episcopus cum abbatibus & presbyteris eiusdem dioecesis praefuit. Plura ex iis, quae in Matisconensi II. Concilio statuta fuerant, cuique ipse Aunacharius interfuit, & sexto loco subscripsit, pariter hic repetita esse reperiuntur.

Causa & acta Concilii quae?

Concilium dioecesanum.

^b *Autisiodorensis.*] Autisiodorum, inquit Ortelius, *vrbs est in Burgundionibus, vno, quod inde nomen habet, plurimum nobilitata. Hodie Auxerre dicitur secundum quosdam*: ita Ortelius. alius est ciuitas Galliae Lugdunensis iuxta Sequanam sita, quae a Ptolemaeo Antricum dicitur: meminit eius Antoninus in itineralio.

Locus Concilii.

^c *Anno Domini.*] Paulo post Concilium Matisconense II. hanc Synodum habitam fuisse hoc indicio colligitur, quod Aunacharius vtrique interfuerit, quaeque illo Matisconensi secundo communi patrum consensu sancita fuerant, hac Synodo dioecesana suis subditis intimauerit.

Tempus.

^d *Non licet, &c. vigilias in festiuitatibus sanctorum facere.*] Prohibentur vigiliae quae cum quadam superstitione, quam admixtam habebant, in priuatis domibus fieri consueuerant. Cum enim immediate ante dixisset; *Non licet Conuentus in domibus propriis facere*, subiunxerunt, *nec vigilias in festiuitatibus sanctorum.* Et paulo post: *sed quicumque votum habuerit, in ecclesia vigilet.* Ita intelligenda sunt, quae de superstitiosa vigiliarum obseruatione Canone quinto habentur. Haec expositio confirmatur eo argumento, quod patres Concilii Matisconensis secundi, quemlibet diem dominicum praecedentibus nocturnis vigiliis a fidelibus celebrari constituerint. Quod decretum prouincialis Concilii, cum ipse Aunacharius Autisiodorensis episcopus sua praesentia & subscriptione confirmauerit, non est probabile, vt per hoc dioecesanum Concilium illi constitutioni aliquid derogatum voluerit, cum praesertim Canone vndecimo huius Concilii, de vigiliis Paschae religiose seruandis sanctissimam constitutionem ediderit. Quam frequens fuerit hoc tempore vsus vigiliarum in Gallia, ex Canone primo Concilii Matisconensis II. satis liquido apparet.

Cap. 3. Quae vigiliae prohibeantur.

^e *Vt vnaquaeque mulier, quando communicat, dominicalem suam habeat.*] Quid per *dominicalem* intelligi debeat, accipe ex sancto Augustino, qui de hoc agit sermone centesimo quinquagesimo secundo de tempore, vbi ait: *Omnes viri, quando communicare desiderant, lauent manus, & omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, vbi corpus Christi accipiant, &c.*

Can. 42. Dominicale quid?